De Jecinoris Inflammatione,

2.

TENTAMEN INAUGURALE,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ROBERTUS WILLAN,

Societ. Phys. Praeses Annus, et S. H.

Soc. Reg. Med. Edin. Sod.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXX.

Mr Lister

from his friend

R. Willan

DE

JECINORIS INFLAMMATIONE,

TENTAMEN INAUGURALE.

CAP. I.

IN omni quidem interna communiter inflammatione, dolor vehemens eſt, cum arteriarum pulſu concitato, duro, et plerumque valido: Sanguis e vena exceptus cruſta alba obducitur, urina exit ruberrima. Ubi autem jecur laborat, quaedam praeterea ſibi propria habet. Dolet hypochondrium dextrum, tactus ſaepe leviſſimi impatiens. Dolor alias pleuriticum mentitur, ut peritiſſimos quoque fallat, ſiquando ad latus dextrum vel ad jugulum partis ejuſ-

dem

dem pervenerit, inter ſpirandum acerbior factus, quod jecur a tranſverſo ſepto prematur. Facilius tunc in latus affectum decumbitur.

Variae dein partes variis afficiuntur incommodis, prout hepati viciniores, vel in conſenſum a nervis adductae. Claviculam et ſummum humerum lateris ejuſdem dolor perſtringit acutus, et pro certiſſimo morbi ſigno habetur.—Cauſa hujus in obſcuro ponitur: An ad conſenſum illum referenda ſit nervoſum, ſive ad hepar, quod forſan gravitate ſua mediaſtinum claviculae infixum detrahit, parum conſtare videtur. Ad hoc tamen vix pertinere poſſe arbitror, cum in jecinoris ſchirro talem adeſſe dolorem nuſquam inveniam; quo caſu tamen jecur et mole et pondere augetur.

Si partem ſuperiorem inflammatio occupat, hypochondrium et coſtae nothae in tumorem elevantur, nec decubitum in dextrum latus patiuntur omnino. Pulmo tunc in diſcrimen venit, et ſingultu, ſpiritu difficili, tuſſi frequentiore, agitatur. Quum

vero

vero parti viſceris cavae ſubeſt, haud tam praeceps periculum imminere videtur: Dolor et febris minus exercent; at faſtidium cibi et ſitis, et vomitus maxime urgent. Ubi male eſt, bilis evomitur, et, perventa forte ad ventriculum inflammatione, interdum ſingultus prope ſtrangulat, ſymptoma graviſſimum.

Corpus jam ſaepe luteo colore imbuitur; teſte Hippocrate malum, praecipue ante diem febris ſeptimum; majorem quippe morbi vehementiam oſtendat, cum ad fel et ductus uſque biliarios inflammatio ſubrepſerit; bilis ergo in duodenum liber exitus turbatur.

Delirium vel phrenitis plerumque mortem antecedit.—Et haec quidem acuti morbi ſigna ſunt.

Cum autem ſectores cadaverum vomicas intra hepar purulentas, caeteraque inflammationis ſigna, detexerint, quae nulla unquam acuta febris praegreſſa eſt, inflammatio hepatis exinde bifariam diviſa fuit; nempe, in acutam illam, quae in externa

membrana

membrana potissimum oritur, et cum proximo peritonaeo communicatur; et in alteram magis obscuram vel chronicam, ut vocant, quae jecoris ipsius est.—Hanc clare depinxit Galenus, et post illum alii, quasi in venae portarum ramulis sitam, et ex visceris imbecillitate vel intemperie oriundam.

Ob nexum membranam inter et parenchyma arctissimum, atque vascula communia, fieri vix potest quin hae duae species saepe commisceantur, vel altera alteram excipiat. Exempla praebet Lieutaud. Obs. 597. 704. Haec membranae inflammationem, qua partibus vicinis accresceret, et simul abscessum intus factum monstrat, illa autem alteram alteri supervenire posse testatur. Singulis ergo propria sejungere haud in promptu est; et multi adeo auctores utramque simplicem parum accurate, alii vix omnino, intellexisse videntur.

Chronicam autem inflammationem solam oriri ex Lietaud: Obs. 705, 6, 10, 15, 19, 22, 23, 37, 41.; ex Morgagni Ess. 36. §. 4. 17, et 25.; ex Bonet. lib. 3. §. 17. obs.

obſ. 2. et ſeq. ſatis patet; et, cum periculoſiſſimus morbus ſit, attamen ſubdolus, qui nec arteriarum pulſum valde incitet, nec inſignem dolorem creet, operam haud fore inutilem duxi, ſi ex his auctoribus ſigna ejus praecipua traderem.

Dolor ergo et febris impetus haud in tantum intenduntur, vel etiam ipſum aegrum, et medicum parum attentum, fugiunt: At lentior morbus eſt, dolor obſcurus cum gravitate quadam, et caloris interni ſenſu. Cibi faſtidium et ſitis eſt. Accedit corporis languor, et in vultu color quidam luteus vel ſubfuſcus, quem in omnibus hepaticis ſe reperiſſe ait Galenus, quo abſente, gloriatur ſaepe ſe detexiſſe pleurae vel muſculorum tantum inflammationem ſive abſceſſum, cujus alii ſedem in jecore poſuiſſent.

Alvus interea parum conſtat; modo aſtricta, modo liquida eſt et cruorem vel carnoſum aliquid repraeſentat. Ubi inveteravit malum, ſuppuratione ſenſim facta, venter

venter et crura pedeſque intumeſcunt, aeger in tabem incidit, et lente conſumitur.

Ad cauſas et diverſos morbi exitus nunc tranſeundum.

CAP. II.

Inter cauſas inflammationis evidentes memorantur quaecunque partes quas attingunt, vehementer percellunt, ſtimulant; utpote acria cujuſcunque generis, ſint chemica ſint mechanica, ignis, frigus, quicquid vulnerat, contundit, lacerat.

Id agunt fere omnes, ut arteriarum vim et actionem in parte aliqua adaugeant, et fluida illic majore impetu et copia dirigant, extremas arterias ad contrahendum circumcirca ſollicitent; unde ſanguis accumulatur, et vaſa illa diſtendit, ad vibrandum uſque fortius urget. Totum corpus tandem commovetur, rigor univerſus intenditur; dein cordis et arteriarum motu aucto, impetus in partem fit quam maximus; qua

vi

vi ſi vaſa conſtricta paulo poſt remittuntur, et, amota cauſa, aequa redit circulatio, morbus ſolvitur.

Hucuſque ergo habemus quaſi commune quoddam ſeminium: Interdum tamen certas partes ad hunc morbum quodammodo praediſponi, rationi videtur conſentaneum. Si quae adeo inflammationem unquam ſubierunt, recidivam facilius patiuntur. Hujuſmodi eſt forſitan ophthalmia iſta et angina, quibus auxilium certiſſimum praeſtant ea medicamenta quae confirmant et reſtringunt. An ejuſdem generis quoque rheumatiſmus chronicus acutioris morbi ſequela? Inflammationem ſubeſſe obſcuram teſtari videtur felix uſus veſicantium, hirudinum, et praecipue cucurbitulae, quibus materia ex propinquo ducitur, vaſcula turgida deplentur, et poteſtatem contrahendi recuperant.

Tale ergo vitium ab origine etiam partibus quibuſdam inſitum eſſe poteſt, quae, ut vulgo loquimur, quaſi infra tonum caeteri corporis poſitae, a cauſis levioribus af-

ficiuntur, vel ab aliis, quarum vis in totum aeque exercetur, primo morbum concipiunt.

Eſt ut credamus jecur hoc vitio ſaepius laborare previo, quo ad inflammationem facile concipiendam aptum natum eſt, cum extra cauſarum ſolitarum fere jactum collocetur. Contuſiones equidem et vulnera ad hepar penetrare, calculi etiam, (qui in ipſo jecore aliquando concreſcunt), vermes, et acria intus nata, in quocunque corpore occaſionem morbo exhibere poſſunt. Inflammatio autem a cauſa parum manifeſta vel a levi frigore oriunda, ad morbidam viſceris conditionem non injuſte refertur; quam eandem etiam ad icterum vel ad calculos biliarios inclinare veroſimile eſt; quorum origo ex ſecernentis glandulae vitio, et ſecretione exinde imperfecta, ducitur.

Teſtantur ſaltem multae medicorum obſervationes ictero laborantes, in haepatitin a levioribus cauſis pronos eſſe; hepaticos autem in icterum, praeſertim ſi accedant quies, concoctionis et aliarum functionum infirma

firma conditio, vel quodcunque bilis ſtagnationi favet. Verum enim vero ipſa inflammatio ad icterum creandum forſan multum conferre poteſt; quod de nephritide calculoſa vehementius contendit Hoffmannus, 'quam non facile gigni,' ait, 'niſi praeceſſerit nephritis ſimplex inflammatoria vel purulenta in vaſculoſa et canaliculoſa renum ſubſtantia, poſtquam urina extravaſata et ſtagnans, vel pure commiſta, ſenſim dimittit terreas moleculas, a quorum coalitu tandem ſuccreſcunt calculi.'

Cauſae igitur duplices ſtatuendae ſunt; quarum aliae internum vitium creant augentve; aliae intra corpus natae, vel extrinſecus admotae, inflammationi ipſi praecipue occaſionem praebent.

1*mo*, Obeſi, ut inter omnes conſtat, huic inflammationi maxime obnoxii ſunt; non exinde tamen quod 'vicina omnia viſcera premat omentum ingens, vel quod oleum pingue in venas epiploicas receptum hepar inundet et obruet.' In

ani-

animalibus autem, quae multo cibo, multo ſomno uti coguntur, nec exercitantur, jecur majus fit et mollius, et praeter rationem caeteri corporis immaniter aliquando augetur. In humanis itidem corporibus, quaecunque a nimia ingluvie et otio obeſa fiunt, his jecur laxum turgeſcit, et in morbum citius conjicitur, pro argumento talem vitae rationem huic viſceri imprimis nocere.

Potio meraca et intemperans pariter inimica eſt, et jecur, auctore Heberden, magis quam inteſtina vel ventriculum ipſum turbat. Hoc, ait, venenum ſpecificum ſibi homines quaeſiverunt, remedium ſpecificum adhuc ignorant.

Æſtates fervidae aridaeque jecur miris modis afficiunt; bilis acerrimae, quae ſupra infraque erumpit, inteſtina torquet, profuſionem cient; inflammationi adeo aptum reddunt, ut in hac tempeſtate epidemicum tale malum ſaepe obſervaverit Bianchi. 'Hinc toties,' dixit et V. Swieten, 'poſt aeſtates fervidiſſimas, autumnali tempore oriuntur

untur febres biliofae, haepatitidem comitem habentes.'

2do, Quae potiffimum caufa inflammationem excitare valet, praeter vim externam et acria, frigus eft, humano corpori faepe inimiciffimum. Poft fudorem ergo natationes frigidae, vel praefertim aqua gelida, aeftuante corpore, imprudenter affumpta, in jecur ventriculo incumbens agit ex propinquo, vafa ejus circa fanguinem calore rarefactum fubito conftringit: Humorum circuitus interturbatur, dolor vehemens ac tenfio eft. 'Vidi aliquoties,' ait V. Swieten, 'ab hac caufa et haepatitidem et pertinacem admodum icterum natos fuiffe.'

Multum fimul confert ad faciendum vel augendum morbum, illa corporis conditio quam diathefin phlogifticam vocant, vel nimia vis contrahendi, qua partis affectio in totum citius propagatur.

Quinetiam, in plenis corporibus, inflammatio major effe debet, cum a fanguinis tranfitu per aliquam partem impedito, caeterae laborent, et renitantur, unde in imbe-

cilliorem

cilliorem fortior impetus. Raro enim quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet. His autem concurrentibus, promptissime morbum oriri et vehementissimum necesse est.

Nata igitur inflammatio ab his causis evidentibus, obscurioribus solvitur, vel illibata partis sanitate et integra structura, cum naturâ ipsa viribus suis conditionem morbidam amovere valuit. Solvitur autem quae jecur male habet, evacuatione facta, varia, ut quibusdam placet, pro diversa morbi sede; diarrhoea nempe biliosa sanguine commixta, at sine dolore vel tenesmo, ne dicam sudores, et urinam in qua multum desidit; alias fluxu haemorrhoidum, vel sanguine a nare dextro profuso.

Aliter, si causa irritans pertinacius inhaeserit, sive febris impetus vehementior fuerit, nec medicina debitum attulit auxilium, res ad suppurationem venit, unde vasa aperta materiam, qua antea tumescerent, sub nova puris forma deponunt. Magis in aliam opinionem inclinant multi autores, persua-

persuadentque sibi pus non statim secretum effluere, at potius a sero effuso, et intra ulcus stagnante, tenuioribus partibus difflatis vel absorptis, deponi.

Ex horum experimentis patet, a sero multo quod desidit, parva mole, nec calore modico, nec brevi temporis spatio, separari; Pus cito, et tanta interdum copia, a largis vel multis simul ulceribus, erumpit, quantam vix totum sanguinis serum potuisset suppeditare.

Pus inflammationis usque progenies est, nec a sero alicubi intra corpus stagnante, in calore humano conflari videtur. Vulnus idem monstrat ex quo recente primo exit sanguis: Dein tenuius hoc serum varie crassum et coloratum ad tres dies interdum effluit; at hinc pus manifesto non fit, neque, donec inflammatio supervenerit, cum dolore, tumore, et rubore, unquam exit humor iste crassior, albidior, glutinosiorque, et sanguine et sero.

Pro diversa ulceris conditione, ora materiam fundentia diversam effundunt, sani-

em,

em, ichorem, ſordes, &c. quae omnes in pus genuinum externis medicamentis cito nonnunquam revocantur. Suppuratio in glandulis facta plerumque taedioſa eſt et periculi plena, mala materies exit; quod in jecore etiam obtinet, ni pars tantum exterior abſceſſerit; *Hip. aph.* § 7. 45.

Si intra tempus ſolitum morbus ad ſolutionem parum ſpectat, ſcire licet inſtare ſuppurationem. Primo partis tenſio paullulum remittitur, dolor ab acuto gravior ſit et pulſans, horrores vagi ſine certo ordine ingruunt. Facto pure, dolor et febris impetus ſedatur; gravitatem ejus partis ſentit aeger, et, ſi in latus ſanum decubuit, onerari id ex pondere aliquo videtur. Moxque febricula urgetur veſpertina, et longe fit imbecillior, id quod ex pulſu parvo, frequente, languido, crebraque animi defectione, cognoſcitur. Quod, ſi ne rupta quidem vomica, vel pure extrinſecus emiſſo, febris quievit, aut quamvis quieverit, tamen repetit: Item ſi ſitis eſt, ſi cibi faſtidium, ſi venter liquidus, periculum certum inſtat.

Puris

Puris in jecinore ſedes non eadem eſt: Ea vero ſuppuratio maxime tolerabilis, quae in exteriorem partem fertur et acuitur: Et, cum materiae exitus arte interdum dandus eſt, curare oportet ne pro abſceſſu fel tumens pungatur, in quem errorem graviſſimum nonnulli inciderunt. Tandem ſolers PETIT utriuſque tumoris naturam detexit, quomodo alter ab altero dignoſcatur oſtendit.

Ubi fel tumet, nec dolor acutus, nec illa pulſatio ſequitur. Horror et ſudores haud ſimiliter ingruunt. Color etiam eum morbum detegit, maxime oculorum, in quibus, quod album eſſe debet, fit luteum. Tumor aequalis et circumſcriptus eſt, infraque coſtas nothas, ſub recto muſculo, locum tenet, nec ut abſceſſus media ſui parte fluctuat. Quin et abſceſſus inaequalis eſt, durus, et incertam ſedem obtinet; ſupraque cutis fere oedema oritur.

Poſt inflammationem acutam et ſuppurationis factae ſigna, abſceſſum deprendere in promptu erit. In longiore autem morbo, ubi ſuppuratio in jecinore lente fit, do-

lorque modo finitur, modo intenditur, ubi praecordia dura ſunt et tument, res magis in dubio ponitur. Siquis adhuc haeret incertus, neceſſaria vero opera ſcalpelli eſt, cautius agat, cutim primo et muſculos incidat, donec ad tunicam ipſam pervenerit. Deinde, ut res poſtulat, vitetur fel, ſive pus aperiatur.

Suppuratio, cava in parte facta, plus periculi habet: Vel febris hectica aegrum cito opprimit; vel materia ſtagnans et acris totum hepar lente conſumit; interdum in abdominis effuſa cavum exedit inteſtina, rectum praeſertim, cum gravitate ſua, in ſacculum a peritonaeo factum, inter rectum et veſicam decidat. Plerumque autem per ventriculum aut inteſtina rectam ſibi viam patefacit, alvo demum vomituve eruptura, cum partes proximae a praegreſſa inflammatione hepati undique adhaeſerint. Interdum per ductus biliarios, quod tutiſſimum, in duodenum emittitur. Nec deſunt exempla ubi vomica ſepto medio inhaeſit, et pus inde intra pulmones, tuſſi evocandum,

dum, penetravit. Rem nonnulli in dubium vocant, et pus in pulmone factum esse ab inflammatione illic simul orta potius credunt, quod ita aliquando evenisse non negandum est; sic haepatitis etiam sputo flavo, ut pneumonia solet, nonnunquam solvitur. Ab autoribus tamen satis patet, cadaverum sectiones hoc loco factae monstrant, viam in quibusdam per diaphragma et pulmonem erodi, qua pus vel in thoracis cavitatem, vel in bronchia, effunditur, ea interdum copia, ut miserum strangulet, mortemque subitam inferat.

Si morbus vehemens urget, fieri potest ut in gangraenam vel sphacelum desinat. Perraro autem eo pergit haec inflammatio ut sic lethalis fiat. Materiam postea effusam degenerare posse, et pro putrido esse fermento, scriptores plerique voluerunt.

Chronica inflammatio, quamvis minore tumultu, ad eosdem exitus vergit; quin et easdem etiam causas agnoscit: Aliae adhuc memorari possunt, quae internum jecur laedunt, et sanguinem in vena portarum evi-

dentius

dentius accumulant. Cerebrum a fracto cranio laesum primo enumerare licet, quo casu jecur in mirum consensum trahitur, et bilis semper evomitur. Dolor vel gravitatis sensus et tumor quidam hypochondriis plerumque subest: Hinc autem largos intus abscessus fieri et icterum multi mirati sunt, cum nulla febris acuta praecessisset.

A febre intermittente vel remittente, ubi extremae partes undique constringuntur, sanguis magis ad interiores fertur, et venam portarum praecipue replet, hanc inflammationem, cum dolore quodam, et dextri hypochondrii tensione, oriri notissimum est: Sequitur saepe abscessus, schirrus, icterus.

Idem, ob haemorrhoidas suppressas, interdum usu venit, in malo etiam hypochondriaco, cujus originem a sanguine intra abdomen congesto ducimus.

Hanc potius inflammationis speciem subsequi videtur schirrus jecinoris; quando sanguine turgescat illud viscus, effundatque in vasorum interstitia materiam, quae postea organizatae speciem induit, et molem ejus

auget.

auget. Talis in caeteris inflammationibus effusa materies fundamentum praebet, quo crescat nova caro, et saepe circa hepar praesto fuit in iis corporibus, ubi schirrum, hydrope etiam conjunctum, sectores invenerunt.

Nescio an ad inflammationem quandam referrem simile fere jecinoris vitium, cum ex venis, sanguine praeter modum distentis, tumescat.

Aliae corporis partes, lenta vi distractae, mole semper et pondere crescunt. Vesicae, ob retentam urinam tumenti, nova materies apponitur, et tunicae multo crassiores fiunt. In rachitide etiam, struma, caeterisque cachexiis, sanguis a causis parum notis magna copia in jecur defertur, cui novum, a tali distensione accedit, at morbosum incrementum. Immo, in tantam magnitudinem cum sola anxietate et gravitatis sensu interdum excrescit, ut libras 30 vel 40 pendeat, et totum abdomen repleat.

Neque huc referenda sunt tubercula illa quae in hepate nonnunquam oriuntur, aeque

aeque ac in pulmonibus, mulierumque mammis, et a malo corporis habitu pendere videntur, quo ex levi injuria harum partium vaſa ad novam actionem excitantur, et alienae materiae nodos quoſdam generant, vel carneae, vel carne durioris, cretaceae, et fere oſſeae. Haec poſtea, turbato ſanguinis circuitu, cauſam dant inflammationi, obſcurae quidem, ſi internam ſedem habent; at, ſi exteriorem partem occupant, ſaepe acutiſſimae.

C A P. III.

Expeditis jam cauſis et vario morbi eventu, reſtat denique dicendum quomodo ad finem perducendus eſt citum et tutiſſimum.

Primo igitur, ad febris impetum minuendum, ſanguinem mittere optimum eſt; quod remedium, antiquitati ultimae non ignotum, per omne dein ſeculum, in omni fere

ſere inflammationis genere, auxilium extitit praeſentiſſimum.

Parum intereſſe videtur (quamvis in his antiqui multum poſuerunt) quae aetas ſit, quod in corpore intus geratur, vel quo morbi die ſanguis ducatur. Prudentis autem medici eſt non annos numerare, nec conceptionem ſolam videre, ſed potius quid vires ferant aeſtimare, quid morbus deſideret.

Mitti vero is debet e dextro brachio, pleno flumine, nec modica copia; nec vice ſimplici, ſi febris vehemens eſt. Plerique enim alteram facilius quam primam miſſionem ferunt.

Raro quidem hac perſtare curatione eouſque oportet, ac in lateris dolore, cum non tam praeceps periculum inſtet, nec totum corpus aeque perturbetur. Omiſſa vero tempeſtiva ſanguinis miſſione, timor eſt ne lente fiat interna ſuppuratio, vel ſuboriatur poſtea ſchirrus, aut horrenda mala chronica, quae aegrum miſere abſumunt, curationem vix unquam admittunt.

Si ex vena ſanguinem mitti vires non patiuntur, et dolor levari debet, praeſtat hypochondrio cucurbitulas admovere, quae ſanguinis profuſionem a parte laeſa avertant, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem praecipue confert.

Vel, ubi febris quievit, ſtatim epiſpaſticum ſuperimponere utile eſt, quod ſimiliter materiam ex parte demit, et aliud praeterea opus agit, ſpaſmum internum ſolvendo, cujus rationem parum novimus, an vi fiat propria, an lege quadam mira naturae, quam interpres Hippocrates tradidit (aph. 46 § 2.) Idem efficit eryſipelas circa hypochondria obortum.

De eo autem, quomodo in corpus agat, poſthabita quaeſtione, ſatis conſtat, medicinam iſtam a doctiſſimorum virorum experientia comprobari.

Nec eſt omnino ut timeamus nimiam ejus irritationem, utpote cito evanidam, et praeſertim cum in primum mali fontem et originem agat, et partem in integrum reſtituat. Sic alias ſaepe inflammationes ſecat, et hepaticam certo levat, vix tam integre tollit,

tollit, quin alia medicamenta ad curationem perficiendam poſtulentur.

Fomenta etiam calida, quantum epiſpaſticis vel aliis auxiliis non interveniant, multum conferunt ad digerendum id quod hypochondrium intus onerat. Pari ratione a lotionibus, mediocriter calentibus, hepar juvatur.

Alvum ducentia, in omni inflammatione utilia, hic maxime ad vim febris compeſcendam ſemper profuerunt. Materiam ex propinquo derivant, ab arteriis nempe meſentericis et caeliacis, quae ſanguinem ad hepar mittunt; cujus curſu impedito plenae tument. Cichorei, taraxaci, intybae ſuccos, multis antiqui laudibus efferunt, utpote qui corpus refrigerent, obſtructa aperiant, atram bilem ſolvant. Recentior obſervatio tantam utilitatem non agnoſcit; plantaeque hae ſunt amari imprimis ſucci et acris. Remedia adſunt potiora tamarindorum fructus, et ſales neutri, praeſertim tartarus vitriolatus et ſolubilis, cremor tartari, &c. qui omnes jecori amiciſſimi materiam im-

pactam optime abstrahunt. Chronicae ergo inflammationis curatio fere tota in his consistere videtur. Tamen, ne hic forsan a sanguinis missione semper abstinendum. Sanguis enim missus, ut mihi semel videre contigit, aegrum ab imminente morte eripuit, cum pulsus debilis et intermittens multo diversum fore eventum suasisset.

Inierunt plerique alterum consilium, interponantque purgantibus ea quae febris regressum praecavere, et motus enormes componere possint. Potiones dant ad id efficaces, puram aquam limonum succo mistam, vel decoctum hordei cum melle et nitro. Utile est julapium salinum, cui tartari emetici aliquantum adjicere licet. His cutis arida et constricta fere madescit, sanguinis circulatio magis aequabilis et temperata fit.

Plenum provocare sudorem quibusdam utile visum est; ad exteriores enim partes si materia revocatur, internae simul levantur. A camphora cum C. cervi spiritu libere assumptis, ut sudore totus difflueret,

aegrum

aegrum languentem erigi, ſolvi cito morbum novi.

Incertioris uſus emetica ſunt. Internas inflammationes nuper quidam ſolo vomitu praecidere, et fauſto, ut videtur, ſucceſſu, tentarunt, nec in lateris dolore acerbiſſimo abſtinuerunt. Alii in jecinoris morbo vomitum tanquam inutilem et periculoſum coarguunt, quod jecur nimium agitet et exaſperet. Hoc tamen modo Hippocrates, multis ante ſeculis, acutas jecinoris inflammationes curavit. "Si ſimul ſtrangulatio "urget, vomere cogendus eſt. Dein veſti-"mentis obtegens, fac ut ingens prorumpat "ſudor. Et ſiquid bilis vel petuitae evo-"muerit, idem poſt horas quatuor repe-"tere oportet; profuturum enim eſt."

Conſtat praeterea, dolorem et tumorem hepatis, cum incipiente ſchirro, a vomitu repetito interdum tolli poſſe.

In calidis regionibus, ubi morbus vehementiſſimus; et inflammatio ſemel orta, per totum hepar cito fertur, aliam inſtituerunt medici curationem. Primo, ut tradit Lind

ſanguinis

ſanguinis miſſone, febris impetum compeſcunt; dejectionem poſtea medicamentis moliuntur, vel alvum lotionibus ducunt; et tandem ad mercurium ſe conferunt, remedium certiſſimum, quo lenis ſalivae fluxus ad dies 15 vel 20 movetur.

Partes infirmis proximas ſedulo inungunt; calomelas vel pill. mercuriales ſimul exhibent. Sic ſuppuratio praecavetur, ex qua ſubita mors fere opprimit. Materia enim cito putreſcit, totum jecur favi inſtar tumet, et corrumpitur.

Apud nos etiam, poſt acutum morbum, quando dolor cum tumore et febricula ſolum remanebant, idem remedium maxime profeciſſe compertum habemus.

Curioſa de aegri diaeta et aliis externis obſervatio vix neceſſaria eſt, nempe, ut cibus et potus ex leviſſima materia dentur; ut in amplo conclavi teneatur, quo multum et purum aërem trahere poſſit, ut ne multis veſtimentis ſtraguletur; ut omnis vehementior motus et corporis et animi vitetur. Si rectam rationem vel naturam ducem ſequimur,

quimur, quae aegros plerumque ſibi convenientia expetere docet, aliquid gravius errandi non eſt locus.

Magna cura cavendum eſt, ne quid maneat morboſi, cum multa mala chronica a neglecta, vel non integre curata, haepatitide originem ducant.

Ergo, ubi aliquis convaluit, purgatio bis terve adhibenda eſt, fricationibus utendum in extremis partibus; et, ſi jecur imbecillum fuerit, bene ſe exerceat, vel corpus medicamentis et balneo confirmet. In primis autem, ſubitas caloris et frigoris viciſſitudines evitare oportet.

F I N I S.